



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. An aliquando Ecclesia supplet defectum jurisdictionis in Sacerdote?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Ratio est, quia absolutio est sententia iudicialia, ad cuius valorem requiritur jurisdictio in eo, qui iudicat, & subiectio in eo qui iudicatur.

Q. 2. An aliquando Ecclesia supplet defectum jurisdictionis in Sacerdote?

Resp. Aff. Modo hæc duo simul adsint. 1. Titulus coloratus, hoc est, titulus habens speciem veri tituli, cum tamen reipsa nullus sit: qualis est collatio Beneficii Parochialis, sed invalida propter occultum aliquem defectum, v.g. propter occultam simoniam. 2. Error communis, ita ut communiter, ac publice quis existimetur verum habere titulum & jurisdictionem: si enim ex errore unius aut alterius tantum putaretur Sacerdos habere jurisdictionem, quam non habet, invalida esset absolutio: quia tunc non est sufficiens ratio, ob quam Ecclesia censeatur conferre jurisdictionem; cum hoc non sit necessarium ob bonum commune, quod non exigit, ut Ecclesia prospiciat quibusvis casibus privata singularum ignorantia.

Ecclesia autem supplet illum occultum defectum, concedendo extraordinarie Sacerdoti jurisdictionem transeunter pro singulis actibus; eò quòd bonum commune id exigit ad impedienda multa gravia damna, ac scandala, quæ ex invaliditate actuum orientur.

Argumento ex *L. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.*

C c 2

Talis

Talis tamen Minister peccat graviter, quia usurpat jurisdictionem, quàm scit se antecedenter non habere, & hoc est ei graviter prohibitum.

Q. 3. An præter potestatem Ordinis & jurisdictionis requiritur approbatio in Confessario tam regulari quàm seculari non habente Beneficium, cui animarum cura sit annexa?

Resp. Aff. Nam ita statuit Trid. sess. 23. c. 15. Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.

Circà quòd Decretum observanda sunt sequentia.

1. Approbatio est consensus & facultas Episcopi, ut Confessarii munus exercent is, quem ad id idoneum judicat. Sensus autem Decreti Trid. est, quod sine illâ approbatione nullus possit non solum licitè, sed etiam validè audire Confessiones, ut expressè declaravit S. Congregatio Cardinalium, & constat ex scopo Concilii, & sensu ac praxi Ecclesiæ. Porro Eccle-